

universam, omnesque præstantes Geometras excitare ad hoc problema demonstrandum. Itaque commento isto, Plato Apollinem mathematicum, imo tanquam matheseos censorem atque castigatorem effecit. Enimverò Academiae Parisiensi neque Deliorum pestilentiam, neque fabulosam Apollinis Pythiam, sed certè tam nobilis tamque ingenuæ disciplinæ Platonicum amorem illum vehementer exoptabo, ut explosis & ejectis infinitarum nugarum sophismatis, mathemata succedant, idque brevi sperò futurum. P. Ramus Veromanduus sum, non Atheniensis Plato: neque Apollinis Pythiam commento illo possum excitare, sed possum, ut in proœmio constituendæ & conformandæ Parisiensis Academiae jam tentatum est, & nisi temporis calamitas obstitisset, perfectum jam esset: possum, inquam, regem meum, regis doctissimos & elegantioris doctrinæ amantissimos domesticos & familiares de tantis Academiae bonis admonere, proque mea quantulacunque facilitate eniti & contendere, ut Pythagoras & Plato in Academiam Parisiensem regis legibus, imo regis privilegiis ac muneribus accersantur. Dionysius licet tyrannus is, qui describitur, attamen philosophiæ amore tanto captus fuisse prædicatur, ut Platonem Athenis maximis & muneribus & honoribus evocaret, Platonisq; tanquam numinis alicujus adventu ignes & sacra per totam Siciliam fieri juberet: Quanto Christianis veraque pietate & humanitate præditis regibus ac principibus aptius & convenientius fuerit, optimi maximi que dei dona in publicas scholas publicis privilegiis ac stipendiis inducere? Possum (inquam) regem regisque familiares de tantis bonis admonere: imò verò & eodem argumento omnes orbis principes ad studium mathematicæ eruditionis adhortari. Itaque detur nobis hoc loco egressionis extra regni fines, venia. Britanniam Gallia bis antea magistram fuisse accepimus. Veterum Gallorum disciplina, inquit Cæsar, in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur: Et tunc qui diligentius eam rem cognoscere vellent, plerumque illò discendi causa proficiscebatur. Hoc antiquum magisterium fuit: Deinde cum barbaries, afflictæ Romanis bellis Gallia libertate omnem quoque disciplinam afflixisset, ex eadem insula Flaccus Albinus vel Alcuinus Carolo Magno honorificè acceptus liberales artes in Gallia rursus excitavit: primaque Parisiensis academiae fundamenta posuit: Sic iterum Britannia Galliae magistra fuit. Itaque ut Gallia nec ingrati nec immemoris animi monumentum erga principem eruditionis atque humanitatis suæ parentem testatum haberet, Franciscus rex primus regias linguarum atque artium liberalium professiones instituit: unde & Britannia tanquam fructum communicatæ quondam doctrinæ legitimo fœnore repeteret: unde etiam tanquam municeps publici muneris honorem caperet. Itaque Rod. Bainum Britannum professorem regium Lutetia habuit. Sed Carolus avi laudem æmulatus, publicum de regii professoris excellentia iudicium esse voluit, eoque idoneos omnes, velut ab aratro Cincinnatos ad philosophiæ dictaturam evocari. At Elisabetha Anglorum regina, Angliam tuam Galliae discipulam diutius fieri ne finito, sed Gallos vicissim in Angliam provocato, doctrinæ principatum pluris quam regnum quodvis estimato. Natura & fortuna plerasque reginas effecit: at nobilium linguarum peritas, laudandarum doctrinarum studiosas & amantes, id est tui simi-